



DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TNINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.
QUÆSTIO MEDICA*,
QUODLIBERTARIIS DISPUTATIONIBUS
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-tertiâ menſis Novembris, anno Domini M. DCC. LXXVII.

M. MARIA-ZOROBABEL MUNIER, Regis in Coloniis Orientalibus nuper Medico, domûs Regiæ Invalidorum Ducum & Militum Medico à Rege deſignato, Doctore Medico, Præſide.


An variolarum inflammatio ab omnibus aliis diverſa, quod ſit inflammatio-criſis, *ac proinde ſemper fovenda & ad ſuppurationem perducenda?*

I.

DUO præcipua in variolis tempora diſtingui omnibus Medicis notum eſt: alterum ebullitionis quod tribus aut quatuor diebus includitur, & in quo febris adeſt acutior aut remiſſior: alterum eruptionis, quod ad decem aut ad decem & ſex extenditur dies, & in quo febre, aut penitùs ceſſante, aut ſaltem valdè imminutâ, papulæ morſuum pulicarium non abſimiles ad corporis ambitum, præſertim ad faciem, ad thoracem, & ad extremitates tam ſuperiores quam inferiores effloreſcunt, quæ indeſinenter creſcendo, donec ſuum faſtigium attigerint, in totidem tubercula immutantur intensè rubentia, calentia, dolentia, in verum pus & in veros abſceſſus abeuntia. Hi abſceſſus pure exſiccato

Vocabulum CRISIS longe aliâ acceptione inter Medicos ſumitur quàm apud vulgus. Apud Medicos ſignificat ſemper evacuationes ſalutares quoquo modo & quaquâ viâ fiant; & hæ evacuationes oppoſitæ ſunt evacuationibus ſymptomaticis quæ ſemper noxiæ ſunt: apud vulgus verò criſis habetur pro augmento agitationis & quâdam tumultûs ſpecie.

* Autore Ludovico-Alexandro Gervaiſe.



duris & craſſioribus cruſtis obducuntur, paucis poſt diebus facilè & quaſi ſponte decidentibus.

Hunc morbum Medici, ab illo tempore quo primùm ab Rhaze Medico Arabe obſervatus eſt & accuratè deſcriptus, ad hodiernum uſque tempus, uno ore omnes inflammatorium appellaverunt, methodumque inflammationi communi idoneam huic adhibendam ſuaſerunt. Sed ſi hujuſce inflammationis ſpeciem accuratiùs diſtinxiſſent, ſique magis ad finientis quam ad incipientis morbi phœnomena reſpexiſſent, à tam latâ definitione tradendâ abſtinuiſſent, neque, tam generalem curandi methodum inſtituiſſent. Cum enim hic morbus conſtanti, abſolutè neceſſariâ, & inevitabili naturæ lege nunquam niſi plenâ ſuppuratione in ſanitatem vertatur, eos haud fugere potuiſſet, variolarum inflammationem ab omnibus aliis eſſe diverſam, quòd ſit *inflammatio-criſis* quæ ſemper fovenda, ſuſtinenda & ad ſuppurationem perducenda, & quòd cæteræ inflammationes ſint eſſentiales aut ſymptomaticæ, quæ ſemper retundendæ, à ſuppuratione deffendendæ & ad reſolutionem perducendæ. Ut vero hæc diverſitas apertior fiat & pleniùs eluceſcat, inflammatio communis ſeu generatim ſumpta variolarum inflammationi eſt comparanda, & utriuſque phœnomena tam quoad progrediendi modum, quam quoad varios exitus, & diverſam curandi rationem attentè ſunt examinanda.

I I.

INFLAMMATIO in genere nihil aliud eſt quam ſanguis arterioſus ruber ad extremos vaſorum apices retentus & collectus, aut per auctam circulationem in principia arteriarum lymphaticarum fortiter impulſus, ibique infarctum efformans, qui continuam preſſionem, continuumque attritum patitur ex reliquo ſanguine à tergo ſemper appellente. Ex hoc infarctu tumor naſcitur major aut minor prout majorem aut minorem vaſorum quantitatem occupat.

Nunquam paulò validior in corpore naſcitur inflammatio, ſive interna ſit, ſive externa, quin febris ſtatim accendatur. Hinc in eſſentialem & in ſymptomaticam inflammatio poteſt diſtingui: eſſentialem rectè appellaveris quæ febrem prægreditur, ſymptomaticam verò quæ poſt natam febrem exoritur, ut & quæ vulneribus, fracturis & variis luxationibus ſupervenit, ſive febrem in ſodalitium accerſerit, ſive non accerſerit. Sed hæc accurata diſtinctio neque ſemper poſſibilis, quia ſæpè febris & inflammatio, uno, & eodem impetu ſimul irruunt, neque abſolutè neceſſaria, quia non hinc diverſa exurgit curandi ratio, niſi quòd fortè promptiora & efficaciora requirantur auxilia. Ut ut ſit, febris & inflammatio ſibi mutuas vires ſuppeditant, quâque proportione hæc increſcit aut minuitur, eâdem etiam illa augetur aut decreſcit, & neutra, quoties evaſurus æger, non niſi paulatìm extinguitur.

Proximam inflammationis cauſam agnoſcunt Medici vel nimiam ſanguinis ſpiſſitudinem, vel nimiam vaſorum coarctationem, vel ſimul utramque, & quælibet inflammatio alterutro ex his quatuor exitibus ſemper terminatur, vel reſolutione, vel ſuppuratione, vel gangrænâ, vel ſcirrho.

In reſolutione craſſus & ſtagnans cruor paulatim attenuatur, diluitur, & conſuetas circulationis vias relegit, vaſa quæ erant infarcta deplentur, laxantur, & pars inflammata perfectè ſanatur, nullo, ne tantillo quidem prægreſſæ læſionis, veſtigio remanente.

Suppuratio obſtruentem materiam, ipſoſque vaſorum parietes in liquamen quoddam cremori-forme invertit, quod pus appellatur.

Gangræna eſt humoris infacti, ipſorumque vaſorum abſoluta corruptio, quâ pars inflammata calore & motu vitali orbatur & cadaveroſæ ac putreſcentis carnis ſpeciem induit.

In ſchirro denique obſtruens materies, difflatis per calorem tenuioribus & aqueis particulis, ſimulque craſſioribus relictis, in duritiem quaſi lapideam compingitur, partis organicæ uſu penitus pereunte.

Ex hiſce quatuor exitibus ſola felix optandaque eſt reſolutio, ut quæ ſola ſanitatem reſtituat. Tres alii exitus, aut ſunt morbi ipsâ inflammatione periculoſiores, aut ſunt certi mortis mox venturæ prænuncii. Nonne reverà in pleuritide, in peripneumoniâ, in ventriculi, aut alteriùs cujuſlibet viſceris inflammatione multò majore periculo laborat æger cujus inflammatio in ſuppurationem, aut in gangrænam verſa eſt, quam inflammatione adhuc crudâ? Tota itaque curantis induſtria eò dirigenda ut ſuppuratio aliique infauſti avertantur exitus & ut perfecta obtineatur reſolutio. Hinc quidquid accenſum calorem extinguit, ſanguinem ſicciorem & craſſiorem humectat & diluit, vaſaque nimis tenſa & repleta vacuat & relaxat, in uſum eſt trahendum. Hos ſcopos Medici ſequentibus præcipue auxiliis aſſequuntur.

1.° Sanguis pluries, properanter, & quandoque fere ad animi deliquium uſque eſt mittendus, præſertim in juvenibus & in viris temperamento ſanguineo & æſtuoſo præditis: ſic minuitur plethora, levius fit pondus totius maſſæ ſanguinis, in oppoſitum obicem arietantis, & vaſis ſua redditur poteſtas in liquida contenta agendi, eaque attenuandi & ulteriùs propellendi.

2.° Imperandi potus aquoſi, refrigerantes, reſolventes & leviter nitrati, ut quod concretum eſt diluatur, diſſolvatur, fluxilius reddatur. Talia ſunt ſerum lactis aut ſimplex, aut plantis refrigerantibus incoctis medicatum; decocta ex radicibus aceroſæ, fragariæ, liquiritiæ & graminis cum plantis capillaribus, borragine, chærefolio, floribus violarum, roſarum & ſimilibus; decoctum hordei modicè ſaccharatum & nitratum; emulſiones dilutiores ex ſeminibus refrigerantibus cum pauco ſaccharo, ſuccus aurantiorum aut limonum vel groſſulariæ ad gratam aciditatem in aquâ dilutus & ſaccharo edulcoratus.

3.° Singulis diebus bis aut ter alvus clyſteribus emollientibus & refrigerantibus eſt ſubluenda.

4.° Ipſis partibus inflammatis, aut inflammationi proximis applicandi fotus ex decocto plantarum emollientium & reſolventium, aut ſimilium decoctorum vapores ad has partes dirigendi, & pluries repetendi.

5.° Utendum victu tenuiſſimo, nihilque ægroto concedendum præter juſcula valde tenuia ex carne vitulinâ, aut pulli gallinacei quoad majorem partem conflata, pauco nitro addito nec-non foliis acetoſæ & chærefolii, quæ juſcula ad cyathum aut ſemi-cyathum ſingulis trihoriis ſunt exibenda.

6.° Angue pejùs fugienda quæcumque motum ſanguinis intendere, majoremque in eo æſtum accendere apta ſunt, ut potiones cardiacæ ex aquis aromaticis & calidis, ſpiritibus ardentibus, ſalibus oleoſo-volatilibus, confectionibus calidis & ſimilibus conflatæ, nec non vinum merum, tam ſimplex, quam id in quo aromata ut cinnamomum, nux moſchata, zinziber, piper, crocus & ſimilia cum ſaccharo ebullierint.

Sed quantacumque ſit horumce auxiliorum efficacia, hanc longè ſuperant variæ evacuationes criticæ quas natura potens, aut hiſce auxiliis adjuta, in ægrotantium levamen non nunquam ſuſcipit. Tales ſunt bilioſum alvi profluvium aut bilioſus vomitus, aut etiam morbus regius debito tempore ſuperveniens in pleuritide,

in peripneumoniâ, in hepatitide inflammatorio-biliosis, larga sanguinis è naribus eruptio, sudores profusè erumpentes, copiosa & facilis sputorum exspuitio, in iisdem morbis sincerè inflammatoriis quandoque etiam apostemata & bubones aliis in partibus longe dissitis erumpentes. Hâc methodo, naturâ & arte sic amicè fœderatis & ad eamdem metam properantibus, inflammationes quantumvis terrificæ & minaces à suppuratione, gangrænâ & scirrho deffenduntur & ad resolutionem perducuntur, sanitate in integrum redeunte.

I I I.

VARIOLARUM inflammatio primo quidem intuitu inflammationi communi prorsùs similis videtur. Sed quanta inter utramque dissimilitudo! Adest quidem infarctus sanguineus ad extremos vasorum apices ut in inflammatione communi; adsunt communia inflammationis symptomata dolor, calor, tumor, rubor; sed ultrà sanguinis infarctum, ultrà inflammationis symptomata, adest peculiare quid venenatum, vi tam coagulatoriâ pollens ut se nunquam resolvi patiatur, ut nullâ aliâ ratione quam suppuratione extra corpus possit eliminari. Febris aliarum inflammationum individua est comes, quòque magis hæ intenduntur, eò etiam intensior illa redditur. In variolis vix prima emicant papularum vestigia, cum febris statim mitescit, & quo pleniùs turgent, eò fit hebetior; in aliis inflammationibus tota curantis industria in eo occupanda ut præcaveatur suppuratio, in variolis è contrà, ut promoveatur. Si inflammationibus aliis succedat suppuratio, en morbus priori longè periculosior: in variolis, si nulla, aut si imperfecta fiat, quot horrenda & ægrè superabilia se se efferunt symptomata! quàm imminens mortis periculum! aliæ inflammationes, vel gravissimæ, quotidie perfectè resolvuntur; variolarum pustulæ, vel tantillæ, resolutionem nesciunt.

Non minus oppositas inter utrumque morbum differentias exhibet curatoria methodus. Largæ & repetitæ venæ sectiones in aliis inflammationibus tam absolutæ sunt necessitatis, ut absque venæ sectionibus sanationis spes prorsus abjicienda: in variolis ut plurimum necessariæ non sunt, & sæpe sunt noxiæ; venæ sectio in inflammatione communi ad resolutionem obtinendam instituenda, in variolis ad suppurationem promptiorem & faciliorem reddendam, si inflammationis intensitas cutem ficciorem & calidiorem reddat: imo absolutè impossibilis in hoc casu est resolutio. In inflammationibus medicamenta refrigerantia, aquosa & diluentia sola sunt expetenda, in variolis ut plurimùm fugienda; remedia æstum foventia nocent in inflammationibus, in variolis necessaria sunt & salutaria; victus tenuis & exquisitus in inflammationibus absolutè necessarius, in variolis victus paulò plenior est concedendus, &, pustulis perfectè egressis, sæpe ægrotantes sunt voraciores quam sanitate in ipsâ: in inflammationibus denique prodest debito tempore alvum fluidam fieri, sanguinem è naribus erumpere, sudores profusos oboriri; hæ omnes evacuationes in variolis sunt pessimæ, & si non tempestivè coerceantur ægrotantium desperata salus. Uno verbo, quòd inflammationibus proficuum, variolis semper adversum, saltem generatim sumptum.

I V.

QUANQUAM variolarum inflammationem sustinendam & ad suppurationem perducendam præcipiamus; procul absit ut à primo morbi insultu, ad ultimum usque diem, & omninò delapsas pustularum crustulas, remedia æstum augentia præscribenda, oleumque igni affundendum suadere in animo habeamus. Cum in variolis sua distincta sint tempora, sua cuique temporis methodus

accommodanda, ac quemadmodum in tempore ebullitionis, cui regimen temperans opportunum eſt, fugienda ſunt nimis refrigerantia, & fortiùs evacuantia, ſic in tempore eruptionis, cui æſtum foventia conducunt, ab incendiariis & calidioribus medicamentis cautè abſtinendum, nunquamque magis, quam in utroque hujuſce morbi tempore, locum obtinuit hoc monitum: *inter utrumque tene medio tutiſſimus ibis.*

Primo illo tempore quod ebullitionis appellatur, ſtatim atque contagii varioloſi ſubtilior halitus, & quaſi ſpiritus rector ad ſanguinis maſſam illapſus eſt, febris accenditur mitior aut ardentior, & ſymptomata ingruunt mitiora aut ſæviora, prout erupturæ mox variolæ è diſcretarum, vel è confluentium genere ſunt futuræ. Non tamen tam certa tamque conſtans hæc eſt differentia ſymptomatum variolas diſcretas aut confluentes præcedentium, quin vel in ipſis diſcretis terrifica quandoque exurgant ſymptomata. Hæc febris, ſive cum mitiorum, ſive cum ſæviorum ſymptomatum ſatellitio incedat, eſt ſemper molimen criticum, ſeu naturæ opus in quo omnes corporis potentiæ & facultates, viribus ſimul unitis, afflatum ſanguini contagium ex ipſiûs ſinu excutere, & ad cutem ceu ad corporis corticem expellere allaborant: uno verbo eſt vera criſis, vera morbi judicatio, nullamque unquam febrim agnovit ſedula criſium obſervatrix antiquitas, cui ſua criſis tam certa tamque regularis fuerit; nam ſemper accidit, & ferè ſemper eodem tempore; vixque vel leviſſima macularum ad cutem efflo-reſcentium veſtigia, venenum jam è ſanguine ſegregari incipiens, proximumque ejus ad cutem adventum prænunciant, cum ſtatim febrilis ille ardor defervеſcit, omniſque ille ſymptomatum ferocium tumultus ſubſidit. Quodnam vero in hoc caſu calcandum iter apprimè docet Hippocrates Aphoriſmo vigeſimo ſectionis primæ: *quæ judicantur, inquit, aut judicata ſunt perfectè, neque moveto neque innovato ſive medicamentis purgantibus, ſive aliis irritamentis, ſed ſinito.*

Hujuſce Aphoriſmi veritatem & uſum in variolis ratio demonſtrat & experientia confirmat. Suſcepti reverà contagii extra ſanguinem expulſio non poteſt fieri abſque febre, ſeu abſque præternaturali quodam motûs circulatorii & caloris incremento, & abſque quodam variorum ſymptomatum concurſu. Si enim ultra conſuetum gradum motus circulationis & calor corporis non intenderentur, vis deficeret ut impreſſum ſanguini contagium evolveretur, & per ſanguineos fluctus ad ambitum deferri poſſet. Symptomata verò quæ ante puſtularum eruptionem ſuperveniunt, ut vomitus, ſanguinis eruptiones & alvi fluxus, ſi non ipſummet contagium expellunt, ſunt tamen pars conaminis naturæ, cujus ope humores ſuperfluos, & qui ipſi deinceps oneri eſſent, providè eliminat, ut ipſum poſtea contagium facilius ſubigat, ſubactumque penitùs abigat. Non itaque hâc febre, hiſque ſymptomatibus adeo terreri oportet, nam etſi gravia, neceſſaria tamen ſunt & ut plurimùm innocua, eò magis quòd ferè ſemper intra quartum aut quintum diem ſunt quietura. Tunc vere judicatur morbus, nihilque movendum aut innovandum, niſi adeò fera ſint ſymptomata ut imminens vitæ periculum impendat, hocque ipſo in caſu non niſi parcè & cautè admodum: nam ſi Medicus repetitis venæ-ſectionibus plethoram minuere, crebris clyſterum injectionibus alvi fæces eluere, validioribus emeticis ventriculum abſtergere, largo refrigerantium potu calorem extinguere aggreditur, omnia ſuſque deque miſcet, naturæ molimen turbat & impedit, ipſeque periculum accerſit quod conatur avertere.

Quod ratio dictitat, confirmat experientia. Longè frequentiùs in divitibus &

populosis urbibus exitiales sunt variolæ quam inter ruri degentes. Quænam hujusce differentiæ causa? Non alia certè est quàm prorsus opposita curationis ratio. Cum quis inter rusticanos febre laborat, quam sequutura est variolarum eruptio, sive sit jam adultus, sive nondum pueritiam aut juveniles annos supergressus, quamvis febris sit valdè intensa, quamvis gravia sæviant symptomata, ut nauseæ, vomitus, sanguinis profusiones, alvi fluxus & alia, non statim lecto addicitur; sive quod rusticani naturaliter sunt lecti impatientes, sive quod in hoc morbo, ipsa natura ægrotos à decubitu in lecto aversos reddit, toto illo tempore rusticani libero aëri expositi remanent, etsi sæpe frigidissimo. Si tanta est symptomatum gravitas, & præsertim lassitudinis, & prostrationis sensus, ut paulò majori quiete sibi opus esse sentiant, se quidem in lectum projiciunt, sed consuetis vestibus non exutos, extra lintea decumbunt; ibi non remorantur nisi quantùm necessum est ut lassitudinem & prostrationem aliquantulùm sublevent, & lectum deserunt statim atque incipit incalescere, nam lecti calor symptomatum ferociam adauget, præsertim vomitum & sanguinis eruptiones. Non aliis potubus utuntur quam pomaceo aut cerevisia, multà aquâ dilutis, aut lacte ebutirato cum aquâ permixto. Nonnunquam seri lactis è caseo molli recèns effluxi haustus aliquot assumunt. Sic ebullitionis tempus transigunt, nec se plerique aëri libero subducunt & in lectum recipiunt antequam jam plenè terminata sit pustularum eruptio, ipsæque pustulæ augeri & inflammari incipiant; tuncque calide in lecto se continent & identidem vinum cum sacch aro mixtum hauriunt.

Hæc rusticanorum simplex agendi ratio duo ipsis commoda affert. 1°. Frigore aëris ambientis nimiam sanguinis ebullitionem coercendo, vim symptomatum infringit & impedit nè præ nimio æstu tota fere sanguinis massa in pustulas efformandas abripiatur. 2°. Morbi tam diri & tam fœdi diuturnitatem & tædium valdè imminuit.

Quantùm diversa est urbanorum curatoria methodus! Vix quispiam ægrotare incipit febre variolas producturâ, cum statim ab aëre communi arcetur, & in lecto molli & calido includitur; dumque hâc intempestivâ cautelâ æstus jam ex se nimius ulteriùs adhuc intenditur, aliundè non magis prudenti consilio sanguis repetitis venæ-sectionibus exhauritur ut tollatur plethora quæ semper, sed falsò, præsens animo fingitur, & ut præcaveatur inflammatio quæ tamen necessaria est & inevitabilis. Vesicatoria variis partibus apponuntur, spe malignitatem suppositítiam educendi, & quæ, si verè extiterit, non aliter certius potest exhauriri quam perfectâ suppuratione; emetica & cathartica propinantur, dum ventriculus motu spontaneo infensam sibi saburram rejicit, & intestinis sese etiam sponte exonerantibus per largos alvi fluxus. Tandem post hasce venæ-sectiones, ut nimius calor retundatur, largus refrigerantium potus præscribitur. Sic ne impleta creditur hæc sacra Hippocratis lex: *quæ judicantur ne moveto, neque innovato sive medicamentis purgantibus sive aliis irritamentis sed finito?* En vera causa cur in magnis urbibus variolæ longè periculosiores quam inter rurigenas? Quoties itaque Medicus in tempore ebullitionis ad ægrotantem accersitur, à tramite à rusticanis calcato & ab ipso Hippocrate monstrato, quantùm fieri potest, nunquam recedat. Ne obliviscatur vix potentiùs remedium temperans in hoc casu posse præscribi quam pergere aëris communis frigori exponi; si nimia sit febris, si nimius æstus ex sanguinis redundantiâ ut in temperamentis verè sanguineis accidit, tum venam secare ne dubitet & sanguinem mittere, sed parcè & solum quantùm sufficit ut eruptioni promo-

vendæ faveat; non ut plethoram neceſſariam auferat; quinimo ſi ſymptomata magis ex ſanguinis rareſcentiâ quam ex ejus redundantiâ oriantur, omiſſâ venæ-ſectione, ut pote in hoc caſu noxiâ, acido vitriolico in aquâ ad gratam aciditatem diluto, hæc rareſcentia compeſcenda, exſolutaque ſanguinis principia ad ſe invicem revocanda. Præſentibus ſaburræ indiciis in ventriculo, aut cacochyliæ in inteſtinis, ſi vomitus ſuperveniat, aut alvi fluxus, ſibi ſunt permittendi, ſi modum non excedant, quod magnam noxiorum humorum copiam ſubtrahant; ſi verò excedant, aut tam diù perſiſtant, ut humoribus plùs æquo effuſis non jam relinquatur unde increſcant puſtulæ, hæ evacuationes theriacâ, Diaſcordio, pulvere Pannonico & ſimilibus coercendæ; ſi è contra non ſufficiant, lenioribus emeticis & ſubductoriis proritandæ, ut aquâ tepidâ cum oleo permixtâ & affatim hauſtâ, vel ſero lactis cui caſſia incocta fuerit aut in quo mel roſaceum, aut violaceum fuerit dilutum. Nunquam, aut raro validioribus utendum, ne partibus internis valdè irritatis & præternaturaliter incaleſcentibus vera & exquiſita inducatur inflammatio.

Tempore eruptionis cum eò meliùs eant res ægrotantis, quò magis aſſurgunt & pleniùs turgent puſtulæ, & quò plenior ſuccedit puſtularum ſuppuratio; cumque nullâ aliâ viâ quam ſupuratione venenum ad cutem depoſitum omnino extra corpus poſſit extrudi, hæc eruptio eſt ipſiſſimum naturæ opus ac proindè ſemper fovendum, nam quò natura vergit, eò ſemper eundum, & ut inquit Hippocrates, Aphoriſ. 21. ſect. 1. quæ educere oportet, quò maximè vergunt, eò ducenda per loca convenientia. Sed hæc eruptio non iis fovenda quæ ignem igni adjiciunt, quæ naturæ opus turbant, ſed iis quæ motum & calorem neceſſarium ſuſtinent. Is omnino ſervandus eſt modus quem in aliis evacuationibus criticis & ſalutaribus religiosè ſervandum præcipiunt Medici. Sic, verbi gratiâ, ſudore critico in morbo inflammatorio tempeſtivè erumpente, cautus Medicus ſalutarem hunc ſudorem ſuſtinet, calore lecti, potu leni tepido & parcè ſumpto, aëre cubiculi moderatè calido & ſimilibus, neque hunc ultra modum augere nititur remediis caloris ignei, nec hunc rursùs impedit frigore incautè admiſſo, venæ-ſectione intempeſtivâ aut aquæ frigidæ potu: ſic omnino agendum in fovendâ variolarum inflammatione, iis tantum additis quæ huic morbo peculiariter conducunt.

Poſt ebullitionem abſolutam, puſtulis eminere incipientibus, æger in lecto molli & calido retinendus, & levibus ac ſimul calidis ſtragulis contegendus ut à frigore deffendatur & in calore naturali paulò ſuperiore conſervetur. Nunquam ſiparia lecto circumducantur, aërem enim putridis & fœtidis halitibus refertum circà ægrotantem retinent. Imo ſemel aut bis in die feneſtris pauliſper apertis in cubiculum exterior admittatur aër. Sic interior renovatur, vividior & reſpirationi opportunior redditur.

Potus ſit leviter expellens & ſudorificus, ut decoctum radicis ſcorſoneræ, cum floribus papaveris erratici, aut decoctum lentium cum pauco cinnamomo confracto & tantillo ſacchari, aut ſimilia.

Juſcula ſint magis nutrientia quam in aliis inflammationum ſpeciebus, præſertim ſi adſit fames, & variolæ ſint è diſcretarum genere.

Pulveres diaphoretici ſemel aut bis in die ad ſcrupulum unum, aut drachmam ſemiſſem exhibeantur, conflati ex abſorbentibus & parciſſimâ quantitate ſulphuris aurati antimonii, cujus tota doſis in ſingulos dies granum ſemi aut granum integrum non debet tranſcendere, ſicque ſeptem aut octo diebus pergatur. Hoc medi-

camentum non alterum ſibi par habet in hoc morbo; id enim præ cæteris omnibus habet commodi quod efficaciſſimè & tamen pacatiſſimè à centro ad cutem propellat, nec æſtum & calorem periculosè augeat ut pleræque potiones cardiacæ, & vinum, tam ſincerum quam cum aromatibus & ſaccharo permixtum, adeoque vel in ipſâ febre puſtulis imperfectè erumpentibus tutò exhiberi poteſt abſque metu & periculo febris adaugendæ.

Si ſegniùs progreditur eruptio, ob vires exhauſtas & nimium languidas, potiones cardiacæ ex aquis aromaticis & ſpirituoſis cum antimonio diaphoretico, pulvere viperarum, croci auſtriaci granis aliquot & ſaccharo compoſitæ, vel vinum ſincerum calidum cum pauco ſaccharo exhibeantur.

Tenuis & exquiſitior diæta non niſi ægrotantibus quorum vires per morbi violentiam nimium oppreſſæ opportuna eſt. Imo hujus modi ægrotantes nutriens quidquid abhorrent & reſpuunt, ſolamque ptiſanam ſi grata fuerit aut cochlearia aliquot potionis cardiacæ grati etiam ſaporis in omne alimentum admittunt donec ex hoc miſero ſtatu paululùm emerſerint.

Sed puſtulis probè egreſſis ſi importuna fames cruciet ægrotantes, fugienda tenuis & exquiſitior diæta victuſque paulò plenior concedendus, non qui famem expleat, ſed qui ipſam retundat & temperet: *non fames, non ſatietas, neque quicquam aliud quod naturæ modum excedat bonum inquit Hippocrates.* Aphoriſ. 4. ſect. 1.

Felix curatricum imprudentia, quæ importunis ægrotantium precibus victæ, ipſis quandoque victum pleniorem furtìm conceſſerunt, multoties docuit hunc non his ægrotantibus noxium, ſed valdè utilem & abſoluté neceſſarium eſſe, nam ægri, qui priùs fame exhauſti miſerè peribant, longè meliùs poſtea habuerunt, ipſis etiam valdè ſtupentibus medicis. Quid reverâ tàm tenui, tamque exquiſitâ diætâ opus eſt in morbo cui certus quidam plethoræ gradus ſemper neceſſarius eſt? Quis non ſentit tàm ſeveram diætam graviſſimam & intolerabilem iis eſſe qui, eruptione plenè peractâ, integrâ ferè ſanitate fruuntur, & qui fame eo acriori torquentur quod ipſorum corpus, tempore ebullitionis, per profuſas evacuationes & omnimodam alimenti abſtinentiam jam exhauſtum eſt. Hæc inexhauſta fames vires dejicit, puſtularum maturationi officit, ſomnum arcet, anxietatem, debilitatem & ipſam mortem ſæpè affert. Triſtes hos ſcopulos effugiſſent Medici, ſi Hippocratis oracula minus oblivioni tradidiſſent. Ab ipſius ore didiſciſſent pleniorem in morbis victum concedendum cum remiſſiores fiunt: *tantùm à tenui victu recedendum, inquit Hippocrates, Aphor. 7. ſect. 1. quantò morbus remiſſior extremis fuerit.* Nihil itaque incommodi, ſed multum utilitatis poteſt exurgere ex paulò pleniori victu ægrotantibus in variolis conceſſo: paulo plenior victus, ſi adſit fera fames, omnium cardiacorum tutiſſimum & efficaciſſimum eſt.

Dum puſtulæ varioloſæ intenſiſſimè inflammantur, tantus in toto corpore dolor diffunditur, præſertim ſi variolæ ſint confluentes, ut immanem ſpirituum tumultum inferat, & ſomnum irripere non ſinat. Tantum dolorem obtundere oportet, nam febrem accerſit. *Dum pus fit, inquit Hippocrates, dolores & febres accidunt magis quam confecto.* Aphor. 47. ſect. 2. Syrupus de Meconio & variæ præparationes ex opio deſumptæ hunc periculoſum tumultum compeſcunt, ſi tempeſtivè & debitâ quantitate ſingulis diebus ſub veſperam exhibeantur; nam dolorem obtundendo ſomnum prius fugientem revocant & puſtularum maturationem promovent.

Hic locus eſt inſurgendi in uſum ſeu potiùs in abuſum veſicatoriorum. Qui unquàm factum eſt, ut tàm dira conſuetudo admiſſa fuerit? Quid? In morbo cujus maxima ſævities oritur ex dolore acutiſſimo per totum corpus diffuſo in tempore quo pus fit, & in quo dolores & febres accidunt magis quam confecto, abſque ullâ dubitatione, abſque ullo pœnitendi metu, veſicatoria, & quidem larga, modò alteri, modò utrique tibiæ apponuntur? Quonam ergò conſilio? Nùm exhauriendæ malignitatis? Quænàm alia malignitas in variolis quam puſtularum acutè inflammatarum numerus, magnitudo & dolor acutiſſimus; & quânam aliâ viâ pleniùs exanthlari poteſt quam ſuppuratione? Nùm ut humoris varioloſi portio per veſicatoriorum aperturam effluat? ſed humor ille qui per lacera avulſæ cutis vaſcula effluit eſt mere ſeroſus, non purulentus; imò ſi quid puris efflueret, metuendum eſſet ne, humore neceſſario ſubducto, puſtularum deficeret eruptio, aliundè contagium variolarum nullâ aliâ portâ è corpore egreditur quam ſuppuratione; nùm caloris adaugendi? Sed in hoc caſu jam plus caloris adeſt quam requiritur; &, in calidis affectibus, veſicatoriis uti nefas. En ſapiens effatum Aëtii de veſicatoriis: *In calidis & ſiccis affectibus veſicatoriis non utor, inquit, per veſicantium enim ſtimulos major in fluidis fermentatio, turgeſcentia & orgaſmus excitantur, & in ſolidis vividior oſcillatio.*

Veſicatoria ergò in variolis, generatìm loquendo, nunquam conveniunt. Unus tantùm caſus excipiendus, quandò nempè ob fractas & exhauſtas vires per nimias & nimis repetitas ante eruptionem venæ ſectiones, vel eruptio torpeſcit, vel puſtulæ jam egreſſæ ſubſidunt & recedere videntur, nullo calore, & nullâ febre apparentibus, tunc natura deficiens ad ſe revocanda. In hoc caſu veſicatoria felici cum ſucceſſu poſſunt admoveri.

Sed, præter ſuperiùs recenſita veſicatoriorum damna, aliud adhùc vitium ipſis poteſt exprobrari. In variolis proſperè ſuum curſum abſolventibus, urinæ quas ægrotantes reddunt paulo poſt mictum craſſæ & turbidæ fiunt; ſive ob inductum inteſtinis calorem, & alvum ſtrictiorem redditam, ſive ob partem veneni varioloſi per urinas ſimul exeuntis; quidquid ſit, hæ urinæ cum ægri levamine ſemper rejiciuntur. Si applicantur veſicatoria, urinæ non ampliùs poſt mictum turbidæ & craſſæ fiunt; craſſiores & noxiæ humorum partes non ampliùs per renes tranſcolantur, ob vim propriam & peculiarem quâ cantharides, ex quibus conflantur veſicatoria, in renes præſertim agunt, & ipſis erethiſmum quemdam inducunt. Hìnc in ſanguine remanet, aut in ipſum refluit craſſa & cruda materies, quæ modò in hanc modò in illam partem irruit, poſtque morbum, varia affert incommoda, quibus diù adhuc ægri conflictantur, ut tubercula in variis partibus, tuſſes, ſpirandi difficultates, ulcera, ophtalmiæ.

Nonnè tot mala ex veſicatoriis erumpentia plus quam ſufficiunt ut à variolis abſolutè exulent?

Varia in variolis ſuperveniunt ſymptomata quæ ſigillatim recenſere non hîc neceſſum eſt, & quibus ſingulis ſua propria curatio accommodanda, ſed nunquam oblivifcendum morbum principem nimis refrigerantia, & horum, diuturniorum uſum non admittere.

Hæc ſunt medicamenta, hæc eſt curatoria methodus quibus utendum eſt in curandâ variolarum inflammatione; ſi quis verò hanc methodum hæcque remedia cum remediis & methodo in inflammatione communi adhiberi ſolitis conferat, has methodos à ſe invicem omninò eſſe diverſas ultrò fatebitur.

V.

NON deerunt quibus hucusque allatæ rationes, propositaque curandi methodus non arridebunt. Objicient novum non esse variolas pro crisi habitas fuisse quâ natura venenum sibi infensum è sanguine expellit. Nec nos ipsi diffitebimur ; sed Medici celebriores & nominatim Rhases hunc morbum inter inflammatorios annumeraverunt, curationemque inflammationi communi idoneam huic attulerunt. Sic totam hanc crisim totumque ejus effectum in solâ pustularum eruptione reposuisse & inclusisse videntur, ipsamque pustularum inflammationem non pro *inflammatione-crisi*, sed pro inflammatione communi habuerunt. Hoc est quod novum est, quodque accuratè observandum fuisset ut hæc inflammatio semper foveretur & ad suppurationem perduceretur. Sed quid tum adjicient ? Non indè sequitur regimen calidum huic morbo esse opportunum, nam jam olim adhibitum fuit ; sed tot tantasque strages edidit ut ætate Sydenhamii relictum fuerit. Nec nos ipsi regimen absolutè calidum stabilire annitimur ; sed tantùm temperatum, & æstui fovendo, non verò præter modum augendo idoneum. Si tempore Sydenhamii regimen calidum tot tantasque strages edidit, id non evenit quòd regimen calidum ex se malum sit, sed quòd perversè adhibitum fuerit. Est modus, sunt certi fines in rebus & præsertim in usu medicamentorum. Cæterùm hoc regimen calidum non statim post observatas & cognitas variolas adhibitum fuit, sed regimen refrigerans ab ipso Rhase edoctum : verò experientiâ rerum magistrâ docente, tam infensum tamque contrarium huic morbo repertum est, ut quasi unanimi consensu deinceps relictum fuerit, & ante Sydenhamium nullum aliud regimen in usu erat quam calidum. Cum tamen hoc ipsum regimen in extremum regimini frigido prorsus oppositum sæpè impingeret, sæpe etiam exitiosum factum est.

In vitium ducit culpæ fuga si caret arte.

Non tàm acriter Sydenhamius in calidum hoc regimen insurrexisset si cautiùs usurpatum fuisset.

Rejiciunt adversarii : hoc responsum nihil solvit, nam innumeri è variolis feliciter evaserunt quibus non aliud regimen quam refrigerans adhibitum fuit. Quid indè ? Num ex eo quòd omnes qui in periculosos scopulos alliserunt, non perierunt, omnibus feliciter navigare cupientibus in eosdem scopulos erit allidendum ? Regimen refrigerans naturæ adversum est ; non ducit quò natura vergit. Sed regimen calidum, si moderatum, naturæ amicum, & alteri cuilibet anteponendum, quòd inceptam crisim foveat & ad optatum finem perducat.

Ulterius inquient adversarii : regimen refrigerans huic morbo tam idoneum est ut illud non solum commendaverit Boerhaavius, sed asserere non dubitaverit « perfici debere illam methodum quæ deprehensa est valere in omni morbo in- » flammatorio, eo usque ut in hoc morbo impediat ne inflammatio in pus abeat, » cùm in aliis omnibus succedat, hîcque nihil repugnet, & morbus variolosus » sæpe sit sine variolis ». Sed non attendisse videtur Boerhaavius variolarum eruptionem esse veram & exquisitam crisim ; & crisim impedire, idem esse ac mortem inferre. Nonne ægrotantem occideret quisquis sudoris critici coercendi aut supprimendi causâ venæ-sectionem imperaret ; aut frigidam affatim præberet hauriendam ? Idem omninò accideret si quis variolarum suppurationem supprimere aggrederetur. Non magis rationi consonum videtur variolarum suppurationem unquam tutò, & absque periculo impediri posse, quam mulieres ætate florentes ab

importuno, & tamen critico salutari menstruorum fluxu posse unquam immunes reddi sanitate illæsâ. Si unquam morbus variolosus fuit absque variolis non indè meliùs habuerunt ægrotantes, nam aut vitam amiserunt, aut non nisi languidam morbidam & solito breviorem retinuerunt. Aliunde, ut vulgò dicitur, *rara non sunt artis.*

Nec magis admittenda est altera hujusce celebris Medici opinio, quâ sperat fore ut aliquando quoddam specificum inveniatur tantæ subtilitatis & vis tam penetrantis, ut venenum variolosum delere possit statim atque sanguini impressum fuerit. Contagium variolosum non solum est subtilis halitus, sed motu & calore vitali pollet dum ab infecto in sanum avolat ut semen in actu venereo emissum. Quânam ergo arte præparari unquam poterit antidotus tàm subtilis ut merè halituosa sit & quasi immaterialis, tàm vivæ actionis ut contagii variolosi celeritatem & mobilitatem superet, ut tandem ipsamet sit quasi species altera contagii? Quâ arte, quibus in vasis retineri poterit? Quomodo capi, ponderari, applicari? Hæc opinio est fortè pium desiderium, sed præterea nihil.

Ergo tandem inquient & refrigerantia & venæ-sectiones imposterùm à curatione variolarum omninò erunt ablegenda? minimè. Sed in quibusdam tantùm casibus erunt admittenda, non sub titulo regulæ generalis, ut priùs factum est, sed tantùm sub exceptionis titulo & cum necessitas postulaverit.

Ergò variolarum inflammatio ab omnibus aliis diversa, quod sit INFLAMMATIO-CRISIS, *ac proinde semper fovenda & ad suppurationem perducenda.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius-Laurentius DE JUSSIEU, *Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ.*

M. Joannes-Jacobus NOLLAN.

M. Benjamînus-Michael SOLIER DE LA ROMILLIAIS, *Anatomes & artis obstetricæ in gratiam Matronarum Professor.*

M. Claudius LAFISSE, *è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ.*

M. Josephus-Ignatius GUILLOTIN.

M. Carolus-Jacobus-Ludovicus COQUEREAU, *Scholarum Professor, è Régiâ Societate Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ.*

M. Dionysius PAUTIER DE LABREVILLE, *S. Comitis Gallo-Provinciæ Medicus Primarius.*

M. Natalis-Andreas-Joannes-Baptista CHESNEAU.

M. Dionysius-Claudius DOUCET.

Proponebat Parisiis JOANNES-FRANCISCUS MARINIER,
Nivernensis, Saluberrimæ Facultatis Parisiensis
Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1777.
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1777.